

THEATRVM  
LVGVBRIS MÆSTITIÆ

7 N  
ILLVSTRISSIMI & Reuerendissimi DOMINI,

D. PETRI  
GEMBICIJ,

Cracouiensis Episcopi, Senatoris  
de Ecclesia, & Rep. optimè meriti, Iagelo-  
nei Lycei Cancellarii, Ducis Seueriæ.

FVNERE.

Personis, quas in Honorum locatus fa-  
stigiis, vel gerendas suscepit, vel gestas pro digni-  
tate absoluit, ac deposuit,

DISTINCTVM

ET

Ad leniendum ILLVSTRISSIMÆ GEMBICIORVM  
Domus dolorem A. D. 1657.

Funesto apparatu luci publicæ

A. M. JOANNE DZIEDZIC, Contubernii Hierosol. Seniore

EXPOSITVM.

Permissu Magnifici Domini RECTORIS.

CRACOVIAE.

In Officinâ Viduæ Lucae Kupisz, S. R. M. Typ.

m  
ami-  
cumq;



IN  
ILLVSTRISSIMI, & REVERENDISSIMI  
PRÆSVLIS VITA FVNCTI

INSI PRO FASCIA GNIA.



Cum medio staret Princeps in limine fati:  
Contendit secum, Vitaq; Morsq; simul.  
Vitaq; vult Vittam pro Stemmate; Morsq; recisum  
Avulsamq; humeris dat quoq; Stemma caput.  
Dum sic contendunt; magni Regnator Olympi  
Cælitus approperans talia verba dedit:  
Cum vivus vixit Vittam gestabat; acerbo  
Cum fato functus, sit sibi Stemma caput.

IOANNES ALEXANDER WAXMAN.  
Studiosus Poëf.

Illustrissimo & Reverendissimo Domino  
D. JOANNI PLOCENSI  
EPISCOPO.

ET  
ILLVSTRISSIMO ac MAGNIFICO DOMINO  
CHRISTOPHORO  
Gnesnensi Castellano  
GEMBICIIS,  
GERMANIS FRATRIBVS  
salutem & felicitatem.

P. P.



**A**D publica Vestri doloris, quem ob nefastum ca-  
sum & occasum Illustrissimi Præsulis, Fratris  
Vestri desideratissimi hausistis acerbissimum, co-  
mitia; & meas quoq; præficientes ego sisto Mu-  
sas: Illustrissime. Reverendissime. & Magni-  
fice DOMINE. Quia, ut olim ante fata  
Illustriss: stipendiaris; ita quoq; nunc Vestris mandatis, deslen-  
dis Illustrissimi nensis, mancipatas. Vixisset autem utinam  
hactenus Illustrissimus hic Antistes, & ob eiecta Suetica, &  
Transylvanica atq; alia, non tantum ex hac Vrbe, sed aliqua-  
tenus etiam ex orbe Polono præsidia, nobiscum supremo Nu-  
mini gratias in terris hic persolisset. Oblivisci enim aut dis-  
simulare, quæ in nos Numinis bonitas contulit, quid aliud  
videtur, quàm aut non agnoscere diuinum munus; quod in-  
felicitis prudentiæ; aut negligere, ac parùm curare; quod mani-  
festè impium: quanquam & perniciosum non minus: cum  
non alia res æquè nobis obstringat Deum Opt. Max; ami-  
cumq;



cumq; ac beneuolum reddat: quam si memoriam beneficiorum, quæ præstitit, sanctè semper custodiamus. Quandoquidem verò ex ærumnoso hoc & salo, & solo, diuina majestas ad æternitatis portum eum euocauerit, hanc illi felicitatem non inuideamus. Multò ille beatorum pace jam, quam nos fruimur. Iam pro tot exantlatis in Ecclesia Regi, publica Polona laboribus, amplissima refert præmia: iam calcatis hostium furoribus, vitam inuitam peragit; iam post tot ærumnas & pastoralis curæ sollicitudines iucundissima. capit solatia. Quod si nos ingenti gestimus lætitiâ, quòd annuente Numine hostes nostros ex hac Vrbe eiecerimus, libertatemq; nostram, quæ mirum in modum maleuolorum artibus circumscripta, & tota pene oppressa fuerat receperimus: quantis ille exultat modo gaudiis, quòd toto vite curriculo desideratum æternitatis ipsius jam adierit capitolium; corporisq; solutus ergastulo in sempiternam est assertus libertatem. Abiit jam à nobis ille; & quemadmodum Carolus Magnus Romanorum Imperator, cum in extremo mortis articulo constitutus à suis rogaretur, quænam insignia sepulchro affigi uellet, respondit. **SOLA MORTIS INSIGNIA** sculptantur. Ita ille gentilitium insigne, cum mortis insignibus commutans; Vobis illam, quam uiuus gestabat, pro stemmate resignat **FASCIAM**. Abiit ille, hic in terris terræ corpus, Vobis merorem, luctum & lachrymas relinquens. Ne igitur dolori, quem grauissimum refertis, succumbatis, hoc **THEATRUM LUGUBRIS MÆSTITIÆ**, quod produxi, obuiis vlnis excipientes, respicite: Gratâ enim egregie factorum Illustrissimi Præsulis recordatione. Vestro dolori remedia præstabit. Datum è Contubernio Hierosolymitano. 17. Calend. Nouembris.


Vestrarum Illustrif. Reverendis.  
& Magnific: Dominationum

Cliens obsequentissimus

M. JOANNES DZIEDZIC  
Cont. Hierosol.  
Senior.



## THEATRUM LUGUBRIS MÆSTITIÆ



Vi naturam humanam nouercam humani generis dixerat, næ, haud ille tam multa, quam multum dixisse, & à longè omnia videtur dispexisse. **ILLVSTRIS-SIMI & MÆSTISSIMI** qui mortuo **PRÆSVLI** iusta soluitis & **FRATRES & HOSPITES**. Ut enim nouerca in primo maritalis domus limine, priuignos, si inuenit, amplexu & muneribus dignatur; quos grauissimis odijs mox persecutura, spoliatoq; omnibus domo paternâ etiam expulsura est: sic natura humana in lucem editos homines gremio suo fouet beatq; præmijs; quos breui exclusura est, ac denudatos ad subterraneas specus deturbatura. Tot cæmeteria **PONTIFICVM**, tot sepulchra ac maufolea **REGVM**, tot tumuli **PRINCIPVM** ostendunt, quòd in genus mortalium affectus indicium natura præseferat. Mandat illa fortunæ instabili; ut **PONTIFICVM** mitrâ, **IMPERATORVM** diademate, **REGVM** coronâ, **PRINCIPVM** tiarâ, **DVCVM** cidari caput adoratum gentibus redimiat; sed in ita cum morte pactione, dum minimè speratur, hæc omnia denuo detrahit. Concedit pallia **PRÆSVLIBVS**, paludamenta **REGIBVS**, purpuras **SENATORIBVS**, togas **DOCTORIBVS**, sagum **MILITIBVS**, centones agrestibus: sed hæc intra momentum ferè omnia repetit. Dat in manus tractandum pedum **PONTIFICIBVS**, sceptrum **MONARCHIS**, clauum purpuratis **PATRIBVS**, codicem **PROFESSORIBVS**, arma **BELLATORIBVS**, ligones agricolis; sed hæc cum nec bene apprehensa fuerint, postea recipit. Gloriarum permittit alto prognatas sanguine Profapias Aquilis, Leonibus, Leopardis, Bubalis, Tygribus, Bisontibus alijsq; & generosis & indomitis animalibus; quasi hæc & illa à se, vel à Maioribus suis capta, & domita sint:

A

at sæ-



at sapissimè easdem in excidium illius Profapia Aquilas, Leones, Leopardos, Bubalos, Tygres, Bisontesq; armat, & concitat. Lilia, Rosas, Violas, atq; cætera suaueolentium herbarum oblectamenta, gentilitijs inferi iubet insignibus: sed eosdem ijs Lilijs, Rosis, Violis etiam plerumq; enecat. Tot decora Patrum, tot Auorum stemmata, tot maiorum clarissimorum imagines hereditario iure inter Illustres Familias dispensata, immortalitati asseruare ordinat: sed antequam satis laudis & gloriæ hinc consequatur aliquis, eundem cum suis titulis exterminat, finemq; cachinnantis imponens tragædiæ, vile mortis tandem facit mancipium. Conijcite quæso mecum oculos in hunc tristem exsanguis, & exanimis Præfulis Sarcophagum; nihil nisi novercantis & naturæ, & fortunæ spectabitis ludibrium. Editus ille in lucem fuit ante vnum annum & septuagesimum in Illustrissima GEMBIORVM Domo, gente NALENCIA; innumerisq; & naturæ & fortunæ cumulatus dotibus, vixit non inglorius. Quid nunc est? novercantis & naturæ & fortunæ ludibrium. Furiosam Svetici, Moschouitici, Russici & Transylvanici declinare volens Martis in Patria rabiem, & secedens æmulo sui cognominis Divi Petri conatu in Silesiam penetrarat: en Ratiboriæ ad Viadrum annum sitæ ictum mortis declinare non potuit. Vbi nunc illæ, quas natura dedit dotes? Vbi oris facundia? Vbi maiestas vultus? Vbi oculorum splendor, frontis, grauitas, aurium decor, totius corporis vbi grata Symmetria? Vbi pedum & mitra Præfulea? Vbi ducalis mucro? Vbi purpura Senatoria? Vbi aulæ splendor & amplitudo? Fæderatus & naturæ & fortunæ in excidium humani generis hostis Mors rapuit vniuersa. Hæc secum spolia, hanc prædam, in triumpho agit. Quò verò maior triumphus illius appareret, gentilitiæ GEMBIORVM FASCIAE mortuum, & exanime caput intexuit. Hoc vel solo nomine, vt ostenderet Illustrissimum PETRVM GEMBIORVM nuper Cracouensem Episcopum, Ducem Seueriæ, Cancellarium Academiae, nunc suum esse spoliolum. Dum ergo hæc peraugusta Basilica vel Sacros terræ oblatura est Illustrissimi cineres, vel pios cælo commendatura manes, lachrymisne superstitioso Præficarum more funus eius decorare, an memoriâ heroicarum magni Antistitis virtutum animos ethnico Thracum ritu, vnâ cum Illustrissima & Sanguinis & Hospiti-

Hospitum coronâ, à mærore & tristitia avocare debeat, iustissimè dubitare potest. Ac lugendum mehercule imprimis esset Tibi Illustrissima NALENCIORVM DOMVS, quòd fatorum crudelitas, amicissimum GEMBIORVM ANI Sanguinis Caput sub feralem armatæ falcis ictum submiterit: sed cum ille viuendo bene, moriendo bene, vitam auspicatus sit, tempera à lacrymis. Dolendū Tibi quoq; foret orba Mater Ecclesia, quòd è sinu tuo sponsus acerbissimo fato abreptus abierit; sed cum ille Tibi suum hinc & in terris militanti corpus reliquerit, & in cælis, triumphanti animum addixerit, noli dolere amplius. Illacrymandum & Tibi Amplissima PVRPVRATORVM Sarmatiæ CVRIA, quòd Patrem verè Patrem amiseris; sed cum ille immortaliam nactus purpuram, in cælestium Senatorum numerum cooptatus sit, læta gaudia, luctu posito concipe. Despondendus casus & occasus esset Tibi ò peraugusta Illustrium huius Basilicæ Virorum corona tanti PRÆSVLIS; sed cum ille ita cecidit & occidit, vt Tu altiùs affurgeres, parce fletibus. Tristes & lugubres ingeminandi Tibi lessus inclyta Iagelonis Regumq; Filia, CRACOVENSIS ACADEMIA; quòd Tuus Cancellarius pullo hoc involutus firmate viuere desierit; sed cum ille ita viuere desijt, vt incipiat; ita mori vt desinat, luctum deponere. Vberimas vos omnes subiecti sibi populi deberetis fundere lacrymas; quòd Dominum vestrum in terris, & Deum mortalem vitam spoliatum cernatis; sed cum ille accepit longè meliorem, vestros ploratus sistite. Viuit iam ille vitam immortalē, quem spectatis omnes mortuum: & tunc primum oriri dum mori cæpit. Viuit vitam cui non heu, sed eia occinitur. Viuit vitam nostræ dissimilem. Vita hæc enim nostra vita fluxa & caduca est: vita hæc nostra sicut fortuna vitrea est; cum maximè splendet, frangitur: Vita hæc nostra nil nisi quædam fabula & comædia est, quæ non quàm diu, sed quàm bene sit acta, refert. Ingressus igitur Reverendissimus hic ANTISTES cui parentamus hunc mundum veluti theatrum aliquod, illud vnicum imprimis sibi proposuit; vt talis actor suæ fabulæ hic existeret, qualis Magistro, id est, DEO Opt: Max: placere posset. Nactus enim per natalium suorum propaginem in hac tragica mundi scena peragendam personam GEMBIORVM: en ita hanc absoluit, vt nihil, quod ad Illustrissimæ GEMBIORVM



ORVM Domus spectaret splendorum, desiderare in illo videretur. Factus Regis Secretarius, Vtriusq; Regens Cancellariae postea; Regni maior deinde Secretarius, ac tandem Cancellarius & Archicancellarius: & haec omnia cum sui numinis immortalis gloria expediuit. Suscepit Episcopi deinde in Ecclesia personam; simulq; in Patria Senatoris purpuram induit; ita & illam non nisi ad Sacrorum Canonum praescriptum efformauit; & hanc non nisi in obsequijs Regum Reiq; publicae Poloniae consumptam acerbitate fati coactus deposuit. Cum ergo vniuersa haec penicillo veluti vobis in tabula proponam adumbrata ob oculos, vos Illustrissimi Fratres, Consanguinei, Affines atq; caeteri Hospites, spectatores esse velitis: ut quae Reuerendissimus PRAESVL viuens adhuc in ECCLESIAM, PATRIAM, ACADEMIAM virtutum edidit monumenta; eadem vos omnes, per me reuocata breuiter, iterum post fata sua gratam memoriam recolatis.

Illustrissimi & Reuerendissimi huius PRAESVLIS Paterni generis ornamenta ad NALENCIOS; Materni autem ad Zarembas referri, nemo est qui, si diligentior antiquitatis fuerit arbiter, nesciat. A. Et NALENCIORVM imprimis gens ut antiquissima, ita quoq; clarissima semper apud nos Sarmatas habita est. Siue enim ad Popielum maiorem, vel Miecislauum primum, vel BOLESLAVM CRIVOVSIVM genus suum referant, quid antiquius? Siue quod est fonte sacro suscepti vel in acie strenue pro aris & focis dimicantes, pietatis & fortitudinis symbolum alba Fascia promeriti sint; quid ad gloriam nominisq; immortalitatem cumulatus cogitari diciue potest? Religio namq; & fortitudo alae ceu duae quaedam sunt, quae per vastum terrarum orbem ad notitiam mortalium ignotos licet euehere suos cultores assolent. Huius igitur NALENCIANAE gentis cum innumeris paene nobilissimae apud nos in Polonia numerentur Familiae; ut CZARNKOVIVM, OSTROGORVM, SAMOTVLIVM, CRICIVM, NOVODVORSIVM, GOSTOMSCIVM, aliorumq; plurimorum: tum GEMBICIVM ea est, quae multis, ut dicitur, parasangis, & virtute & dignitate omnes alias post se relinquit. Adeantur fasti, inspiciantur Annales excutiantur veterum Historiarum monumenta, antiquitas sub calculum reuocetur; certo constabit certius peraugustam

stam Domum hanc nidum quendam Sanctissimorum PONTIFICVM, Sedem Prudentissimorum SENATORVM, equum veluti Troianum fortissimorum equitum, & optimorum Patriae ciuium extitisse. Hic ARCHIPRAESVLE & PRAESVLE iure quodam hereditario posuere domicilium tiarum; hic sella curules stationem sibi elegere: hic arcae secretorum, arae clementiae, fidelitatis in PRINCIPES suos resident monumenta. Iactabat olim paene insolentius orbis terrarum caput, & rerum domina ROMA Marcelorum Profapiam, quae tres vno eodemq; tempore in Republi- sua ex illa viderat Senatores: sed nunc iactare desinat. Ex GEMBICIVM etenim augustissima Domo plures iam nostra aetate in regno Poloniae vidimus. Vidimus Illustrissimum hunc quem lugemus PETRVM CRACOVIVM: Vidimus ANDREAM quem ante biennium luximus, Luceorensem; Videmus & admiramur etiamnum Illustrissimum & Reuerendissimum IOANNEM (quem Ecclesiae, Patriae, nostris literis publica aeternitatis decreta seruent quam diutissime incolumem) PLOCENSEM; omnes meritissimos de Rep. nostra ANTISTITES. Quid vero STEPHANVM LENCICIENSEM Palatinum quid DOBROGOSTVM POCILLATOREM POSNANIENSEM immatura morte praeventos Heroes? quid CHRISTOPHORVM GNESNENSEM CASTELLANVM, aeternae adhuc mentis comitio superstitem; utinam & immortalem! referam? Omnes hi sunt ex illa prognati FAMILIA, quae vna sufficere posse & Ecclesiae & Patriae videatur. Sed haec recentia: respiciamus anteaeti paulo seculi tempora; & vel Illustrissimi & Reuerendissimi LAVRENTII GEMBICII ARCHIEPISCOPI GNESNENSIS, LEGATI NATI, REGNI POLONIAE PRIMATIS PRIMIQ; PRINCIPIS sui PATRVI; vel IOANNIS POCILLATORIS POSNANIENSIS PARENTIS altius repetamus memoriam, utrumq; GEMBICIANAE Domus splendidissima lumina & firmissima columna agnoscamus. Et in illo quidem quid prius mirer (ut anceps dubiusq; cum magno illo PLOCENSI PRAESVLE STANISLAO LUBIENSIO haeream) nescio. Eruditus fuit, pius, prudens. Eloquentiam vero ita praestabat, ut ab ineunte aetate feliciter Suadae litasse videretur. Iuit ille per omnes hono-



rum gradus, gratus PRINCIPIBVS, gratus populo; gestisq; magnis Magistratibus in summo fastigio honoris positus, hoc apud omnem posteritatem meruit, vt eius Virtutem, & ex virtute laudem venturis seculis commendemus. Illustrissimus verò pater suus IOANNES PO-SNANIENSIS POCILLATOR quis & quantus fuerit; iam vel antea factis locuta, vel posthuma æternum testabuntur secula. Magnus ille quidem & fortunâ fuit, & Maiorum imaginibus insignis; sed in hoc verè maximus dici meruit; quòd AVORVM Virtutes non modò æmulatus; verum etiam supergressus fortunam etiam & animo & meritis excesserit: vt nouo naturæ ingenio non solum ille ex Maioribus; sed Maiores ex illo quoq; ad gloriam nati viderentur. Et quidem Paternum genus illius hoc & tale extitit. Maternum quoq; an non satis Illustre censendum? cum CIELECCIA MATRE natus ZAREM-BARVM peruigilem & supra mænia pretiosissimis vnionibus distincta, excubantem suæ FASCIÆ Leonem innexuerit. Non est necesse laxiori calamo huius gentis & generis amplitudinem perstringere: tum quòd CIELECCIO-RVM Maiestas tot ac tantos viros sit complexa; vt ipsorum splendor tam arcto & angusto temporis curriculo nequeat definiri: tum quòd Illustrissimum ANTISTITEM alienis ornare plumis minus dignum existimo. Sufficit ad ipsius immortalitatem, quòd & naturæ benignioris fauore eam indolem; & sanctiore Parentum educatione illas animi dotes consecutus est, quæ in teneris annis magnitudinem eius futuram non ambiguis promitterent documentis. Iuerat æmulo Vlyssis studio post excussos in patrio Magni IAGELLONIS Lyceo pulueres, in exteras Prouincias; quod hac tempestate Nostratibus quoq; solenne est: sed innocens exiit, innocens rediit; quod heu nimis rarum! Non pauci etenim ad exteros missi referunt domum spinas pro rosis, & dissolutos ac lasciuos mores potius, quam aliquando Musas. Quos deinde nec vlli Magistro transformare, nec Mercurio refingere, nec Vulcano recudere potestas datur. Excepit deinde redeuntem Patria, vt amantissimum filium mater sollicita: quid ille? otione turpi indulgendum, aut luxu nimio diffluendum sibi censur? Minimè. Reuersus enim in Patriam, ne quidquam in eo reperiretur GEMBICIORVM indignum sanguine, indi-

gnum

gnum moribus, in Illustrissimi PATRVI sui Aulam, iuuentutis tunc POLONÆ in omni virtutis ac disciplinæ genere sese exercendæ Palæstram contulit: in eaq; ita versatus est, vt non tantum prælatè factorum sui PATRVI spectator, sed etiam imitator extiterit.

Atq; sic in Aula hac veluti in theatro aliquo priuatâ GEMBICII Reuerendissimus noster ANTISTES, egregiè peractâ personâ, eam laudabiliter deposuit. Non contentus verò ad maiora natus animus, intra priuatos degere parietes; DIVI SIGISMVNDI III; ac mox post fata illius VLADISLAI IV. regiam, publicum POLONÆ nobilitatis THEATRVM ingreditur: ibiq; SECRETARII primùm regii; REGENTIS deinde vt vocant vtriusq; Cancellariæ; postea maioris Regni SECRETARII; ad extemum CANCELLARII & ARCHICANCELLARII personam assumpsit peragendam. Date mihi hanc veniam, vt non tam orationem à me ipsam, quam rerum ipsarum quas is gessit commemorationem expectetis. Quarum recordatione ac memoriâ & hoc mæstum illius funus celebremus; & alijs, qualis in his officijs esse conueniat, innuamus. Ego enim hæc illorum præcipua munia & officia esse existimo; vt SECRETARII Regij ad nuntium REGIS sint, legationesq; regio nomine obeant; Regentes Cancellariæ notarijs Curia cum potestate præsent, dignosq; foueant; maiores Regni SECRETARII in Aula & comitatu REGIS vicem absentium Cancellariæ Præsidium suppleant, & quo Maiestas eat REGIA, sequantur; CANCELLARII autem, quæ contra leges & priuilegia videantur esse non signent, miserarumq; personarum apud REGES causas promoueant. Quam verò hæc ILLVSTRISSIMVS omnia adamussim obseruauerit, cum in Serenissimorum SIGISMVNDI III. & VLADISLAI IV. REGVM POLONIÆ versaretur Aulis, breuiter mihi fas sit ruminari. Creatus enim ille à SIGISMVNDI III. fuit SECRETARIVS, quæ pro dignitate Maiestatis REGIÆ non aggressus per agenda negotia; non quisquâ illo prior in publicarum ac regiarum scripturatum lectionibus; non in acciendis & deducendis ad Regem vel in Senatibus Illustribus Hospitibus & Legatis PRINCIPVM alacrior; non in obeundis legationibus regio nomine expeditior. Videre hic mihi non sine magna animi mei lætitia diem illum videor;

B 2

quo



quo ille ad PAVLVM V. supremum Ecclesiae Catholicae Arbitrum missus omnia & rexit consilio, & integritate tuitus est, & virtute confecit. Quid verò illa ad inuictissimum FERDINANDVM II. ROMANORVM IMPERATOREM à VLADISLAO IV. suscepta Legatio? Parum ne illi nedum apud nos SARMATAS domi; verum etiam exteris apud gentes foris gloriae comparauit? Obsecrabat tunc CAESAREAM MAIESTATEM vellet afflictæ Germaniæ munus pacis indulgere, honestasq; communis otij leges hostibus, & subditis suis non abnuere. Quamuis autem animus CAESARIS diuturnis hostium offensionibus exulceratus fuerat; suauitate nihilominus orationis suæ ita eum lenierat; vt exarmatus prope videretur. Fuisset etiam exarmatus penitus; nisi iterum armatis hostium legionibus esset laceffitus. Quid quod non solum Imperatorem Sacratissimum; sed etiam ipsos belli DVCE S adierit? vt non tantum victricibus armis Ciues contra externos hostes tutarentur; sed etiam salutaribus legibus ab internis discordiis conseruarent. Populi enim salus & imperij fortuna non prælijs tantum, sed alijs longè rebus pacisq; studijs continetur.

His igitur sic perfunctus cum esset SECRETARIVS legationibus; REGENS postea vtriusq; Cancellariæ præfectus fuit; In quo munere quàm dignè se gesserit, recenti adhuc nonnulli optimè tenetis memoriâ. Sciuit Notariorum exactrices plus iusto pro labore manus comprimere; Sciuit illorum vel festinantis calami; vel inertis ingenij delicta castigare; ne quidquam indignitatis inferret Cancellariæ Polonicæ: quæ apud externos PRINCIPES à temporibus PETRI TOMICII (quem Cancellariorum normam, & quasi patrem veteres dicebant) satis elegans & erudita censebatur. Probatus itaq; in Cancellaria VLADISLAO IV. maior deinde Regni factus est SECRETARIVS. Quid ille in hoc non egit munerè? Quem laborem & pericula subterfugit? Quam curam & diligentiam non adhibuit. Absfuerat non semel à regio latere vterq; CANCELLARIVS: ille vt munus obiret signatorium fuit præsentissimus. Iuerat cum exercitu contra GVSTAVVM ADOLPHVM ad littus maris Balthici VLADISLAVS IV. nec ille euntem deseruit. Traiiciendus ad Sehinum Moschici exercitus Ductorem, Smolenscum obsidentem, erat Boristhenes: præ-

præstò fuit GEMBICIVS. Vadandus Tyras ad retundendos exacti Abazi Bassæ à Turca in auxilium Moschorum submissi impetus; & huc alacer Regem secutus GEMBICIVS. Non illum Suecorum calliditas, non Moschorum perfidia; non Turcarum crudelitas deterruit. Non prærupta montium, non vligines conuallium, non fluminum incrementa, non hemes nocituræ abduxerunt; quominus ille se, Fratresq; suos & Nepotes Illustrissimos pro Patriæ incolumitate in ardentibus globis æmulatus Fabiorum, aut Deciorum Romanorum fortitudinem obijceret. Quanta verò illius his in bellis omnibus eluxerit prudentia, ne dum fortitudo, testis loquitur, loqueturq; historia. Nutantes ille confirmabat suorum animos, inflatos spe hostium, cum periculis interesset, deprimebat: imminetia ab hostibus pericula suo consilio auertebat, & commoda feliciter adorandi hostem remedia innuebat: & quod olim apud Pyrrhum Epirotarum Regem Cyneas Thesalus; hoc GEMBICIVS apud VLADISLAVM IV. erat.

Optata verò & REGIS SERENISSIMI, POLONORVMq; fortitudine, & prudentia ILLVSTRISSIMI PRÆSVLIS vt primùm vel pactionibus, vel armis instaurata pax in orbe Polono refulsit, ad CANCELLARIATVS primò, & non multo post tempore ad ARCHICANCELLARIATVS promotus ob egregiè in Prussicis, Moschonicis, Turcicisq; expeditionibus nauatam operam ascendit fastigium. Cum verò CANCELLARIII grauissimum sit in Rep: munus (Cancellariatus enim est nihil aliud, quàm vigilia Reip: aut officina quædam ingenij, atq; doctrinæ) in hoc ille talem se præbuit, vt parem haud scio, an aliquando superiorem in eo munere apud Polonos haberet ferè neminem, siue illius fidem, siue prudentiam, siue eloquentiam consideres. Non ille contra leges, institutaq; patriæ in scio SENATV, & EQVESTRI ORDINE signauit quidpiam; quod multis, sed omnia pro legibus, proq; salute Patriæ palam & in luce omnium CANCELLARIII munia expe diebat, quod paucis vsitatum. Salutem publicam plusquàm priuatam curabat; Regiæ dignitatis studiosus, ad omnesq; Reip: partes intentus erat; imminetia pericula è longinquo indagabat; remedia malis publicis maturè providebat; assidua curâ, ne quid Resp., detrimenti caperet, prospiciebat. Non ignorabat scilicet Remp: salutem, dignitatem REGIS &



& PATRIÆ; custodiam legum, pacem & tranquillitatem publicam curæ suæ commissam fuisse. Nouerat se Magistratuū caput, legum protectorem, arbitrum & æstimatorem meritorum, ac virtutis optimi cuiusq; esse debere. Per illum innotescebat industria REGI eorum, qui Patriæ operam nauare & poterant & cupiebant: qui præmijs ornandi, qui Magistratibus regendis erant idonei; ipso auctore suorum votorum fiebant compotes. Per illum preces omnium Regijs auribus insinuabantur, & quasi ostium liberalitatis aperiebatur. Ille calamitate & iniuriâ pressis præsidium; pupillis & viduis patrociniū, egestate ac inopiâ vexatis dulce apud PRINCIPEM leuamen extitit? Ab illo REX qui eum in tanti Magistratus fastigio collocauerat? ab illo SENATUS, cuius concordia suffragio locum hunc conscenderat, ab illo EQVESTER ORDO, qui eum suspirijs suis ad hanc dignitatem euehi precabatur, summam rei non sine ingenti voluptate excipiebat. Omnibus qui se negotiorum suorum causâ conuenire vellent, domus & porta eius patebat; maximè verò ijs, qui aliorum iniurijs pressisuum patrociniū desiderare videbantur; quiq; sua per illum desideria deferri ad PRINCIPEM petierant. Hoc mehercule debebatur miseris solatium: vt non repulsi; sed in meliorem spem erecti, ab illo & ab Aula recederent. Non enim sunt eorum probandi mores, qui primo aditu spem petentibus præcidunt, & non satis meriti vniuscuiusq; ratione expensâ ferunt sententiam; repulsamq; quæ per se satis grauis acerbiorē iqsâ vultus austeritate faciunt. Eloquentiâ etiam tantâ hic noster CANCELLARIVS fuit cumulatus, vt quidam soliti essent dicere, si in Deorum cætu Mercurius pro Ioue loqueretur, non alio modo, neq; linguâ quàm PETRI GEMBICII loqueretur. Fuit enim vultu & gestu ac omni cultu indicendo concinnus & compositus; interpretem sanè REGVM meliorem cum audiretum, non requireres; sed linguam VLADISLAI IV. genuinam diceres. Dignus est, cui posteri antelucanos calamo grato litent sudores.

Ita ergo ille, cum in SERENISSIMORVM REGVM aulis has omnes SECRETARII REGII, CANCELLARIÆ REGENTIS, SECRETARII MAIORIS REGNI, CANCELLARII & ARCHICANCELLARII pro maiestate REGIS & dignitate Reip. personas absol-

uisset,

uisset, maioribus à VLADISLAI IV. dignus fuerat honoribus habitus. Quia verò haud iam dignior in Regno Poloniae Episcopali inuenitur vllus; Episcoporum enim est in terris Dei obire vices; ad Premislensem Episcopatum imprimis, ac tandem post ad meritorum sedem Cracouensem ab eodem REGE promotus fuit: vtq; à peraugustis eligeretur & acceptaretur Capitulis, supplicauit. Non illi in adipiscendo hoc honore quamuis illustre genus; non preces, non pecunia suffragata sunt quidpiam; sed in Ecclesiam atq; Patriam egregia merita. Qui enim his alijsq; præter solam virtutem modis ad Ecclesiam Dei obrepunt, nihil boni possunt in ea efficere; fordidiq; mercatores potius, quàm boni gregis Dominici sibi commissi pastores sunt censendi. Is igitur cum in tantum honorem ascendisset, talem se gessit in illo, qualem vota publica iam pridem designabant. Speculatore, qui pericula imminencia posset à longè prospicere & propulsare indigebat Ecclesia: Quis hoc circumspicior fuit PRÆSVLE? Non speculator tantum, sed ipse oculus Ecclesiae dici meruit: qui hæc mala omnia, quæ hætenus pertulit & Ecclesia & Patria, ex sectarum inter se dissectarum conuientia ventura in Senatu olim prædicebat. Ducem Orthodoxa Religio contra contumaces Hæreticos, scissos Schismaticos, infideles Iudæos, aliosq; similes Dæmonum satellites exposcebat. Quis hoc feruentior? Testes sunt cum alii plurimi; tum particulares Prossouiciæ Nobilitatis conuentus, in quibus ille, & per literas, & per submissos à se legatos, (gravis enim ætas dissuadebat alias.) contra omnes non bene cum cælo conuenientes toties querebatur. Tutorem pietas in templis desiderabat: Quis illo in propagando cultu Diuino velocior? Testes sunt omnium Diuorum Diuarumq; in hac Principe urbium Cracouia limina; quæ ille solennioribus festis Clero & populo comitatus inuisebat? Testes aræ, ad quas ille diuina Mysteria identidem celebrabat. Populus suæ curæ commissus exemplum postulabat: Quis illo vitæ integritate clarior? Testes vel ipsæ mutæ portæ in aula sua apertæ, vel patens omnibus curia. Vixit ille in omnium oculis, vt omnes viuere condiscerent. Prohibuit portas occludi velut alter Iulus Drusus, vt innueret, nihil in vita sua esse, quod erubesceret. Hæc PRÆSVLIS istius pietas, hic zelus, hæc vita fuit. Quid verò liberalitatem, quæ

C3

propria



propria virtus Episcoporum est, in Ecclesias, & Ecclesiarum  
Ministros, pauperes & viduas, atque alios diuersi status, sexus,  
& conditionis homines proferam? Dies aecastor me defi-  
ceret, si omnia heroicæ munificentiae symbola, non dico  
recensere; sed vel saltem attingere coniterer. Gaudet ha-  
ctenus, gaudebitque diu suauissimos iucundam memoriâ re-  
gens suarum Virtutum liberalitatisque odores hæc peraugu-  
sta Basilica; quod non mediocribus impensis extructâ, co-  
lossis, statuis ac pyramidibus consignata Ara principali su-  
perbiat. Perennem illius recordationem seculorum succes-  
soribus Gentilitium in Archi-Metropoli Gnesnensi dotatum  
& ornatum loquetur facellum. Reliqua, quæ ipsi ad am-  
plissima quæque munificentiae argumenta effuso minora vi-  
deri poterant, nullus hic commemoro. Sileo per Diocesim  
& Premisliensem & Cracouensem tot Sacerdotum locu-  
pletata Collegia: non refero tot Religiosorum & Religio-  
sarum ditata cœnobia: alto inuoluo silentio tot benè, pro-  
uifa nosocomia, orphanotrophia, gerontocomia; quia hæc  
vt aliis multis communia, ita sibi minus gloriosa. Hæc  
quæ dicam amplissimis non possum laudibus non depræ-  
dicare. Squalent hostili diruta manu sepultaque in cineri-  
bus & ruderibus suis tot Diuorum, Diuarumque, Floriani,  
Nicolai, Casimiri, Virginis in arenis aliaque plurima delubra.  
En, vt tandem, (si Regi Reique publicæ videbitur) denuo  
resurgant, viginti florenorum millia obtulit. Hæc in-  
clyta Basilica, quæ iam sui corporis domus & aula ad di-  
em resurrectionis viuorum futura est, desolata cernitur.  
En, pretium metalli cuiusdam, vt restauretur, assignauit.  
Altaria fœdata, ornamentis suis spoliata, nihil nisi squa-  
lorem situmque loquuntur. En vt splendorem recipiant  
vel sua pretiosa satis donauit ornamenta, vel noua, vt  
comparentur, ordinauit. Auri & argenti multa copia ex  
istius Basilicæ gaza Harpyarum Sueticarum vngulis distra-  
cta desideratur: En ille ex auro solido Christi Domini &  
Apostolorum statuas, aliaque multa redonauit. Diui Sta-  
nislai Principis Polonorum Tutelaris mausoleum dirutum,  
Sacra vna argentea nouo & inaudito ferè fabricata artifi-  
cio, hostium sacrilegis rapta & comminuta manibus.  
En vt simile imò magnificentius exurgere possit opus,  
quinque & decem argenti marcas resignauit. Magna sunt  
hæc profecto, & quæ non nisi ab amantissimo decoris  
Domus

Domus Dei Diuorumque; Præsule potuisse proficisci feris  
narrabit nepotibus longæua posteritas, at & ille quæ diui-  
norum sacrorum mystis largitus est, non minus sunt augu-  
sta. Tenuis Foxianæ liberalitatis quondam dextera, ad hu-  
ius Ecclesie labores auritos humanarum actionum Rhada-  
mantos adscripserat: sed cum illi Xenocrate ipso adhuc fru-  
galiorem mensam haberent, duodecem millibus eandem &  
stipendium amplificauit. Non satis bene nouitiorum Sa-  
cerdotum à BERNARDO MACIEIO VIO alisque  
huius Metropoleos PRÆSVLIBVS prouisum fuit se-  
minario; ille, vt vel in literis, vel in sacris exerceri possent  
commodius, totidem adiecit millia. DIVÆ VIRGINIS  
in circulo huius vrbs, mystæ, animarum humanarum de-  
uoti curis, quod ante quinquennium grassante per vrbs a-  
trocis pestilentia se, suamque vitam in mediam fatalis incendij  
flammam coniecissent, quatuordecem sunt dotati floreno-  
rum millibus. Grandia hæc sunt fateor omnia: cum alijs  
tamen tam antiquioris, quam recentioris æui, feruentissimis  
diuini cultus zelatoribus VINCENTIIS, IVONIBVS,  
OLESNICIIIS, CONARSCIIS, TOMICIIIS, ZE-  
BRZYDOVIIS, CRASSINIIS, RADIVILIS, MA-  
CIEIOVIIS, TYLICIIIS, SZYSKOVIIS, ZADZI-  
CIIIS, sibi communia: quorum effusæ liberalitatis in Eccle-  
sias ministrosque Ecclesie præclare consecratus vestigia, lon-  
go iam præconia interuallo post se reliquit. Quod verò pau-  
pertate & calamitate pressis ac oppressis dulce post fata eti-  
am leuamen extiterit, hoc quemadmodum sibi peculiare,  
ita æstimari debet gloriosius. Pauperes & desertæ in vestra  
orbitate non habuistis opem viduæ: ille vt inopiam releua-  
ret, quinque & decem vestris destinauit florenorum millia vfi-  
bus. Egenæ elocari non potuistis honestè virgines: ille, ne  
vestra periclitaretur integritas, dotem munificam assignauit.  
In grauissima apud barbaros seruitute vincti genuistis ca-  
ptiui: ille, vt vos in auream libertatem assereret, viginti mil-  
lia ordinauit. Detrusi in carceres, & detenti in custodijs hu-  
ius vrbs prætorij, ob delictum proprium, vel æs alienum mi-  
seri non habuistis vnde vel viueretis vel exsolueretis debita  
mortales: ille, vt vestram depelleret miseriam, consuluit.  
Hic orbitatis viduarum patronus, hic integritatis virginum  
defensor, hic captiuorum incarceratorumque, seruator ac libe-  
rator extitit.



Hiccine iam terminus suæ munificentiae? Hoccine exodum? minimè. Maiora enim illius sequuntur monumenta. Prostrati iacebant hæctenus varijsq; conflictati morbis, per compita viasq; publicas tot infirmi oberrabant: ille, vt vnũ in locum deportarentur, curaq; illorum haberetur, duobus millibus florenorum prospexit. Præ frigore, hyemisq; sæuitiã plurimi enecabantur mendici, ille, quibus se ab iniurijs cælestibus tuerentur, pallia, quatuor millenarijs, quolibet biennio comparanda, præcepit. Præ nuditate in lucem prodire ad emendicandam stipem erubescabant egentes, ille, vt interulas lineas quotannis reciperent, duobus millibus florenorum prouidit. Extinctos qui sepeliret non fuit pauperes, ille, pro funere eorundem millenarium ordinauit? Humanitatis esse nouerat egenis prospicere, ac dare operam, ne pauperibus quidpiam defuit. Sed quid ego hæc commemoro, vt potè in tenuioris conditionis mortales liberalitatis symbola? illud plusquam heroicum & liberalis, & grati animi erga VLADISLAVM IV. inuictissimum & felicissimum REGEM POLONIÆ opus nec possum, nec debeo reticere. Auctus ab hoc REGE tot beneficijs, ornatus tot honoribus cum esset ILLVSTRISSIMVS. illud vnicum noctu diuq; sua mente voluebat, quã gratum petitus in SERENISSIMVM posset effundere. Quia verò cum viuo non licuit certare beneficijs, quis enim audeat guttam superaddere oceano? in mortuum hæc contulit, & ordinauit, vt anniuersarius dies mortis suæ in hac Basilica quotannis sacer haberetur. ô gratam pientissimi PRÆSVLIS liberalitatem! ô inauditam munificentiam! ô beneficentiam omnium literis, sermonibus, monumentis celebrandam? viues Illustrissime PRÆSVL perennitati, & tot tantæ liberalitatis virtutumq; specimina nomen tuum ab æui demolitione vindicatum, diuite præconiorum amplitudine, dotabunt, decorabunt, illustrabunt.

Sic functus EPISCOPI munere ILLVSTRISSIMVS, CANCELLARIATVM ACADEMICVM quomodo pro illius officio sustinuerit, breuiter mihi fas sit innuere. EPISCOPATVS enim Cracouiensis & CANCELLARIATVS ACADEMIÆ secum conueniunt; & in vna (vt cum Pòeta loquar) sede morantur. Cum verò illius præcipua hæc videantur esse munia; vt viros de literis meritissimos, Magistrorum, Doctorum in artibus liberalibus, & scientijs

titulo

titulo, solenni ACADEMIÆ ritu, vel ipse, vel quem ille præfecerit, exornet; vtq; cum publicum ACADEMIÆ de doctrina alicuius fertur testimonium; præsentiam suã condecoret; vtrumq; absoluit egregiè. Testis est, vel illa ad sacros DIVICANTII cineres pro doctoratu Theologiae iuxta præscriptum legum statutorumq; ACADEMIÆ collata IOANNI BROSICIO Clarissimo in tota Europa Mathematico laurea: testes actus in ACADEMIA publici; quos præsentiam suã illustravit: testis Academicæ pietatis oratorium; quod ille non tantum pto inauguratione priuatorum studiorum inuitatus libentissimè frequentauit; sed vt etiam, sine macula conceptæ DIVÆ VIRGINIS sodalitium introduceretur, allaborauit. Testes ad extremum sacra DIVICANTII PATRIARCHÆ NOSTRI gloriosissimi limina; quæ ille identidem honorificè Saluauit, & pro sacra apotheosi, vt in cælitum numerum referretur, decem florenorum millia numerauit. Manebis æternum GEMBICIANÆ decus in Diuum beneficentiæ; venturisq; seculis, posteri quoq; ipsi magnificè prædicabunt. Dignus profectò, qui immortalitati viuat: Quia immortales virtutum liberalitatisq; reliquit fatus.

Ad hunc modum ACADEMICI CANCELLARII peractã personã PRÆSVL ILLVSTRISSIMVS, SENATORIAM quoq; quomodo exegerit, cum Episcopatu simul sumptam, videre operæ pretium. Ne verò in immensum excreseat mea oratio; sufficiat dicere: Illum optimum SENATOREM fuisse; vt pote; Quia & consilio, & ære, & armis, funestis grauissimorum bellorum motibus concussam adiuuit Patriam. Hæc est enim vera Senatoris magnanimitas, neruum belli mouere pecuniam PATRIÆ in præsidium. Nota omnibus, & bene perspecta sunt, quæ non tantum hinc ante in Patria, verum etiam & hic, quibus funesta bellorum deuitabat pericula, temporibus, scripto saluberrima dedit consilia. Non omnino latet vniuersos, quantos ille pro conscribendo milite, ad eripiendam è faucibus ipsius fati naufragantem Patriam, & pridem & nuper thesauros effuderit. Viua & recenti adhuc omnes tenemus memoriã, quoties ille à se conscriptos, & exercitatos prius domi numerosos ad castra submiserit pedites. Imò hastatos Ochmatouienses hostili cruore celebres campi æternum loquentur Equites. Sed hæc minora cum



videri possint alicui in Patriam Illustrissimi Senatoris merita, maiora exquiramus. Emerferat quidam homo vanus vagusq; Alexander Napierseius, magnificum apud nos illustris Familiae Costkarum de Sztemberg nomen & cognomen commentiens, in montanis partibus tum; cum SERENISSIMVS REX IOANNES CASIMIRVS contra Channum Tartaricum, & Chmielnicum versus Beresteciam progressus, bellis distinebatur. In Capitaneatu igitur Neoforensi, & Czorstinensi trahens moras, incolis illius loci tacite persuadebat, ut similem Zaporouianae contra heros suos rebellionem facerent. Quod ut citius persuaderet inter agrestem hanc plebem sparserat, se liberandae eiusdem à Nobilitatis & ludæorum Tyrannide, venire vindicem. Cum ita plurimos in suas traxisset partes agrestes, Czorstinensem arcem occupauit. Qua de re cum ILLUSTRISSIMVS hic SENATOR factus certior esset, armatam illuc manum submisit. Habuit enim tum in defensionem urbis ære proprio conductos quingentos pedites, desultorios centum Equites. Nobiles ex Seueriensi Ducatu ducentos, Clientes totidem. Ex bonis Mussinensibus in confiniis Hungariae ducentos, totidem pro defensione confiniorum relictis; Harnicos vel potius ex montanis Czorstinensis & Neoforensis tractus oris collectos, agilitate corporis manu expedita, iaculandi peritiâ fistulatores sexaginta non ignobiles. Horum igitur maiori parte Czorstinum versus expedita, arcem imprimis coronâ cinxerat, assultus aliquot fecerat; & post variantis fortunæ vices tandem seditionis ipsius caput, & Architectum proditum ceperat, in Urbem hanc adduxerat; & dignis rebellionem suâ suppliciis addixerat. Quantâ vero tunc REX SERENISSIMVS lætitiâ, voluptatēq; accepto extinctæ huius in herba statim rebellionis nuntio, ceperit: vel castra vniuersa viderunt; vel hæ, quas aliquot è castris iam ad opprimendam hanc seditionem tardius licet expedierat legiones, cognouerunt. Optimi ergo SENATORIS & PATRIS PATRIÆ nomen promeruisse ILLUSTRISSIMVM PRÆSVLEM, nemo est, ut eat inficias. Scilicet Heroum virtus minime otiosa esse solet; ut pote quia & ipsa fortuna vult semper luctari ad immortalitatem. Hic oculus veluti Patriæ cum esset, omnia in Patriam imminencia pericula vel consilio suo prospiciebat; vel ære conuellebat;

vel

vel ad extremum armis profligabat. Eat nunc ingloria cum suis Roma Patribus Patriæ. Non superbiat Arpinatibus, non Brutos extollat versus sidera, non Cassios, non Camillos, non Fabricios iactabunda efferat. Horum enim omnium amorem in Patriam hic Illustrissimus Præsul superauit. Stimulabat enim illius mentem in decus perpetuum vigilantem tot ac tantarum è vetustissima sua familia magnorum virorum recordatio: vocabat eum in sui decoris æmulationem maximus in Rep. consanguineorum honor: incendebat gloriosa optimè de Rep. merendi cupiditas.

Age verò, qualem se DOMINVM subditis, HERVM Aulicis, PATRONVM clientibus; & quàm amicum huic PERAVGVSTO CAPITVLO, fauentem CONSANGVINEIS, beneuolum omnibus præstiterit, Videamus. Non inusitatis grauibusq; populum sibi subiectum oppressit exactionibus; quin imò paternè, omnia debita frugesq; his calamitosissimis temporibus inter agrestes necessitate pressos distributas, indulxit. Eo vel solum nomine, ut pro se diuinum Numen precibus exorarent. Optimè sciens haud illum nomen Domini promereri qui non valet, vel negligit subditos subleuare alimento. Improbi enim sunt censendi illi, qui in suo dominio, non nisi dominium cogitant; & qui se non subditis datos arbitrantur; sed sibi subditos. Non suæ Aulæ verbis vehementioribus persecutus fuit quempiam; non stipendium cuiquam reddi non iussit; sed pro vno geminum extradi ordinauit. Non fidei clientelæq; suæ commendatos semel, tractauit vnquam asperius; sed habuit satis illos, quos maleuoli susurriones traduxerunt, in ære suo non habere. Non amplissimum hoc summi sacerdoti Collegium exulcerauit vlllo tempore; sed omnes ceu fratres amicissimè coluit, & obseruauit. Non propinquorum vllum cæco sanguinis amore effusus, ex Ecclesia collectis thesauris ditauit; sed si alicui quidpiam obtulit, id non sanguinis necessitudo; sed obsequiorum promptitudo extorsit. Imitatus hac in parte religiosè prudentissimum, & pientissimum, legum Polonarum Lycurgum, ANDREAM LIPSCIVM; qui propinquis ex ingenti, quod collegerat peculio (nongenta enim Polonica aureorum millia numeratæ pecuniæ, præter suppellectilem pretiosam & tot horrea reliquit, ut PREMISLIENSIS ANTISTES IACOBVS PIASECIVS memorat) vix

E

sequi



sequi-unciam assignauit. Nouerat non diu eorum posse  
subsistere fortunas, quorum thesauros ex Ecclesia collecti  
reditus locupletant. Quanta verò facilitas, quanta comi-  
tas, quanta in omnes benignitas in illo fuerit, nemo est  
qui nesciat. Ita enim omnes humanitate sua profecutus  
est, vt meritò liceat dubitare, an illum in mundo hominem  
egisse dicam; an humanum quendam erga homines Deum.  
Haud enim hominis est, ita esse dignitate summum; vt  
infirmis humanitate inueniatur æqualis. Habuit in eo Resp.  
Polona, quod amaret & veneraretur; habuit laudis & glo-  
riæ appetens patriæ ciuis, quod imitaretur & coleret: ha-  
buit Curia, Patria, Ecclesia, & omnes status alii quod lau-  
darent & suspicerent.

Atq; sic in lubrico huius mundi theatro versatus; ita  
omnes impositas sibi peregit personas; vt non nisi pera-  
ctas deposuerit; Egit quod famæ satis; egit quod satis  
fuit gloriæ. Licet autem quo ad nostrum omnium vo-  
ta videatur parum vixisse; ad res tamen gestas satis vixit;  
ad memoriam verò præclare factorum æternum viuet.  
Amplificauit enim Illustrissimæ GEMBICIORVM DO-  
MVS splendorem; AVLÆ REGIÆ REGNIq; digni-  
tatem ornauit, SENATVM illustrauit, ECCLESIAM  
erexit, PATRIAM consilio, armis, ære ituit; adextre-  
mum erogatis vltimis tabulis inter diruta bellis templa,  
spoliata altaria, dotes Virginum, gementes captiuos,  
egentem Clerum peculium suum distribuit. Re-  
liquum nihil est, nisi vt cum eum cedere mor-  
talitatis campo imperatrix illa, quæ Regum  
diadêmata tiaras, pedumq; Pontificum  
ligonibus æquat, iusserit; quo beatius  
delicio suo, Deo perfruatur, glorio-  
sissimis hisce cineribus parentan-  
tes æternitatis felicitatem illi  
APPRECEMVR.